

Atque haec responsio quoad substantiam convenit cum iis quae S. Alph. (l. 2. n. 6 seqq.) et Ball. P. (de Pecc. n. 193 seqq.) de eodem argumento habent: quamquam, ob varium sensum iisdem verbis a variis AA. tributum et commixtam cum hac quaestione eam quam supra (n. 397 seqq.) de reatu in ponenda causa turpis delectationis expedivimus, valde intricata sunt quae ibidem, juxta plurium AA. placita, exponuntur.

§ 2. DE QUIBUSDAM ACTIBUS VEL OCCASIONIBUS IMPUDICITIAE.

406. I. Oscula, amplexus, compressiones manuum et similia non obscaena, si fiant tantum officii aut moris patrii aut amoris honesti vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modo in eam non consentiatur), non sunt peccata. (Bus. apud S. Alph. n. 417) Eadem sunt venialia peccata si fiunt ex joco, levitate, immo etiam ex affectu sensuali ac naturali, dummodo delectatio venerea absit, vel, si haec praeter praevisionem oriatur, dummodo repellatur et tunc ab hujusmodi osculis, etc. absteineatur, saltem ob proximum consensus periculum. Cfr. n. 399.

Hinc censet S. Alph. (l. c.) *ordinarie* mortalia esse oscula quae fiant in ore, vel lingua unius in os alterius introducta: quia id plerumque graviter venerem excitat; *ordinarie* venialia esse oscula pueris tenerae aetatis data, etiam cum sensibili delectatione quae pressis mollibus carnibus oritur.

II. Tangere propria verenda ex levitate aut curiositate per se non est mortale, modo fiat obiter et non repetitis vicibus: quia alias jam aderit periculum turpis delectationis. Hinc non excusatur a mortali qui, cum commotione spirituum et sine justa causa, propria pudenda tangit. (S. Alph. n. 419) Similiter graviter peccat qui tangit partes inhonestas corporis alterius, maxime diversi sexus, non autem qui, absque notabili mora et lapsus periculo, tangit minus honestas talis personae partes. Neque, practice saltem, a peccato gravi excusari possunt qui verenda alterius sexus super vestes tangunt, etiamsi id per transennam fiat. (S. Alph. n. 420)

Qui magnum pruritus in verendis patitur, potest eum abigere tactu vel fricatione, etiamsi sequatur pollutio. Nam praesumendum est pruritus causam esse acrimoniam sanguinis, non autem ardorem luxuriae: ac proinde, ob bonum effectum qui speratur, potest permitti malus. Attamen, si constaret hanc excitationem provenire e pravis cogitationibus praehabitis vel ad hoc tendere ut in ipsa pollutione sopiatur, jam bonus effectus tantum sequeretur e malo, ideoque a tali tactu abstin-

dum esset. Si pruritus esset levis et tolerabilis, non liceret, juxta S. Alph. (n. 483), eum abigere cum praevisione pollutionis, liceret cum aliquo motu carnali.

Quae modo de pruritu sunt dicta, applicanda sunt etiam iis qui in genitalibus patiuntur intolerabilem nervorum irritationem, quae quasi cogat ad tactum aliasve motiones quibus pollutio inducatur. Attamen, ut notat Lehm. (l. n. 874), etiamsi illa nervosa excitatio illuc tendit ut in pollutione sopiatur, non sunt tamen damnandi motus corporales qui tantum per accidens pollutionem causare possint, ex. gr. mutare situm in lecto, cruri crus imponere, etc. Pollutio enim naturali dispositioni corporis potius quam his motibus tribuenda esset. In his tamen adjunctis confessarii munus est suadere ut pruritus ille vel excitatio, quantum fieri potest, ex amore castitatis, toleretur, et cavere ne permittat ea quae e vera libidine oriuntur. (H. A. tr. 9. n. 34)

407. III. Non est per se gravis excitatio ad venerem, ideoque nec grave peccatum, **aspectus** partium inhonestarum proprii corporis, item nec partium honestarum vel minus honestarum corporis alieni. Attamen talis aspectus, ubi fit morosus, periculum proximum turpis commotionis inducere et sic mortalis evadere potest. Cfr. alias applicationes supra n. 399. Aspicere pudenda personae ejusdem sexus de se non est mortale, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam vel nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus. (S. Alph. n. 420) Aspicere autem, cum voluntaria delectatione visus, pudenda personae diversi sexus vel concubitum humanum, mortale censetur a S. Alph. (n. 421), nisi visio fieret a loco longinquo et tempore brevissimo.

Hinc reprobant Ball. P. (n. 44) et Berardi (Prax. Conf. n. 930) consuetudinem, in multis academiis vigentem, ut pictoribus tamquam exemplaria proponantur feminae nudaee, tectis tantum pudendis. Reapse non videtur hic adesse necessitas quae medicos vel chirurgos a similibus aspectibus excusat: siquidem artis pictoriae finis plene obtineri potest, adhibitis in exemplaria mulieribus quae tantum in brachiis vel modica pectoris parte denudatae sint. Attamen excusari possunt juvenes qui sine gravi incommodo (ut fit) a talibus academiis adeundis abstinere nequeunt. Nam, si attentionem in artem addiscendam defigunt et Dei opem implorant, non ita aegre videntur consensum in pravos motus cohibere posse. Quare, cum ipsa actio in se non sit graviter turpis et periculum pravi consensus potius e malitia inspicientium quam e natura rei oriatur, aequo severiores sunt praedicti AA. dum peccati gravis arguunt mulieres quae se ita nudas conspiciendas exhibent.

Aspectus picturarum turpia exhibentium plerumque mortalis erit, si res omnino obscaena, vivido modo depicta naturamque imitans, morose

aspicitur, absque necessitate, qualis occurrere posset ex. gr. studiosis medicinae. Ita enim fere movet sicut ipsa res naturalis. Ideo S. Alph. (n. 424) opinatur raro a mortali excusari virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae. Saepe tamen aspectus picturarum, et a fortiori statuarum turpium a gravi excusatur, sive quia obiter fit, sive quia minus vivide naturam imitantur, sive quia periculum vix ullum est ob consuetudinem talia a teneris annis intuendi, etc.

408. IV. Loqui turpia ob vanum solatium vel jocum de se non est mortale. At saepe gravis malitia accedere potest, puta ex affectu pravo quo quis delectatur de rebus turpibus mente apprehensis (n. 173); — ex fine pravo qui intenditur, ut si juvenis socium ad turpia provocare intendat; — ex scandalo quod pati possint audientes, praesertim si pueri aliaeve personae innocentes istis colloquiis adessent, etc. Cfr. S. Alph. n. 426; Berardi, Prax. Conf. n. 932.

Magis quam pro reliquis impudicitiae peccatis, malitia colloquiorum turpium varia est pro condicione personarum. Aliunde, cum dedecet confessarium a poenitentibus petere quid praecise dixerint, praesertim praesumptionibus standum erit. Ita colloquia turpia virorum conjugatorum inter se, qualia fieri solent in tabernis, sat raro ad peccatum grave pertingunt; idem dicendum de operariis talia inter labores proferentibus. Sed contra facile, ob pravum affectum et periculum consensus, gravia erunt colloquia juvenum, nisi ob consuetudinem turpia videndi et tractandi minus his moveantur, puta studentes medicinae, vel loquantur de leviter tantum turpibus, puta de alicujus puellae pulchritudine, de osculo dato, de aliqua levi scurrilitate audita. (Berardi, op. cit. n. 935 seqq.) Praesertim de discrimine inter colloquia diu de rebus prorsus obscaenis protracta et quaedam verba obiter de turpibus dicta interrogare juvabit.

Audientes turpia mortaliter peccant, si sermones graviter malos provocant vel in iis, quatenus turpes sunt, delectantur; leviter, si ex humano respectu aliqua verba immiscent, vel subrident, aut si ex curiositate ea auscultant cum facile abire possint, etc. Hinc non sunt severius tractandi qui talia a sociis, simul laborantibus vel itinerantibus, audire moraliter coguntur, etiamsi quandoque verbum colloquio immiscent. Saepe enim frustra adigerentur ad aliam officinam aliosve socios quaerendos, cum eadem vel etiam majora pericula recurrerent.

409. V. Componere turpes libros, comoedias, cantilenas, etc. fere aestimandum est ex iis quae de sermonibus turpibus dicta sunt; severius tamen, quia scandalum datum gravius et affectus scribentis ad turpia major esse solet. Ad haec duo capita respiciendum est ut definiatur utrum grave an leve sit scribentis peccatum. (Ball. P. n. 51 seqq.)

Legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel proximo ejus periculo, de se veniale est; idem (secluso scandalo) dicendum de iis qui ex quadam levitate, vel ob vanum solatium, canunt cantilenas plenas lasciviis. Utrumque erit peccatum mortale, si fit ex intentione venereae delectationis vel cum proximo periculo consensus in eam (S. Alph. n. 426): quod periculum plerumque aderit juvenibus *omnino obscaena* legentibus, multis autem circumstantiis augetur vel minuitur. (n. 240) Facilius removebitur periculum, si minus turpia leguntur ob justam causam, puta studia litteraria. Per se nullum est peccatum turpia legere ob justam et periculo proportionatam causam, ut patet e licentia quam S. Sedes quibusdam personis concedit, legendi quaedam scripta ex professo obscaena. Cfr. n. 452.

VI. De amicitiiis teneris et sensualibus quae saepe peccatis impuris occasionem praebent, haec notasse juvat:

1° Manifestum est illas, praesertim inter adolescentes et puellas, esse valde periculosas. "Ordinarie puto, ait S. Alph. (Prax. Conf. n. 65) ipsos difficulter esse extra occasionem proximam letaliter peccandi. Id nimia experientia patet: nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes, et si non in principio, saltem in progressu." Affectus enim sensualis, si diu fovetur, facile progreditur ad intentionem venereae delectationis. (Ball. P. n. 29)

2° Qui polluitur e diuturno colloquio cum persona inordinate dilecta ex. gr. ob ejus pulchritudinem, plerumque graviter peccat, saltem ob periculum consensus in pollutionem motusve turpes. (S. Alph. n. 482) Idem dicendum de tactibus osculisve, praesertim morosis, hujusmodi personae adhibitis, sine ulla justa causa, sed tantum ad satisfaciendum huic sensuali affectui: vix enim abesse poterit prava intentio vel proximum consensus periculum. (n. 399) Facilius autem utrumque abesset si tantum leves motus carnales orirentur, praesertim in eo qui peccata venerea committere non solet.

410. VII. Occasionem multis peccatis impudicitiae praebent relationes vigentes inter sponsos de futuro vel eos qui aspirant ad legitimas nuptias. De his videsis Ball. P. n. 64 seqq.; Berardi, de Recid. t. II. p. 269 seqq. Attende praesertim sequentia:

1° Ipsi licent visitationes juxta rationabilem loci consuetudinem; immo etiamsi juvenis, ob vehementem amorem, puellam crebrius et per nimium tempus invisit, saepe hoc tolerandum erit, eo quod, ob receptas consuetudines, sine gravi incommodo prohiberi non posset. Semper tamen adhibendae erunt cautiones a sponsis eorumque curam gerentibus, ex. gr. ne solus cum sola, praesertim in secreto loco, versetur.

Haec prudentia solet esse magis necessaria post inita sponsalia quam antea, eo quod ab illo tempore juvenis solet puellam ut suam habere et tractare.

2^o Iisdem licet invicem exhibere signa amoris et benevolentiae, quae communiter exhiberi solent, ut honesta oscula, amplexus, tactus, alloquia, aspectus. Neque debent ab hujusmodi signis abstinere ob delectationem carnalem vel pollutionem quae, praeter intentionem, ex iis sequatur, dummodo ei non consentiant: nam justa datur causa ob quam pravus effectus permittatur.

3^o Etiam si sponsi tam crebro gravia peccata admittant ut illae visitationes et consueta amoris signa videantur proxima peccati occasio, illa tamen non sunt ipsis, sub poena denegatae absolutionis, prohibenda: nam talis occasio est moraliter necessaria. Attamen tunc praesertim confessarius jubeat sponso abstinere ab iis benevolentiae signis quibus concupiscentiae fomes magis excitetur, neque in modo et frequentia necessitatem excedere, aliasque cautelas adhibere. (Ball. P. n. 66) Cfr. dicenda Vol. II. n. 371 seqq. de versantibus in occasione peccati.

4^o Opinantur multi AA. sponso a gravi excusari, quamvis intendat delectationem sensibilem quae ex osculis vel amplexibus non impudicis sequatur. Rationem afferunt, quod sponsalia, quae matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem quae copulae inchoatio est et in omnino solutis esset culpa mortalis. (Sanch. de Matr. l. 9. disp. 46, n. 48) Supponunt tamen abesse periculum copulae vel consensus in eam vel pollutionis. Quamnam praecise delectationem sponsis licitam opinantur isti AA., non liquet: alii mere sensibilem, exclusa venerea (Ball. P. n. 71); alii, et forsitan rectius, saltem si de Sanchezio agitur, exiguam quamdam veneream delectationem intellegunt. (Waffel. de Virt. Card. n. 198 seqq.) Etiam si speculative huic sententiae alterutro modo intellectae sua probabilitas concedatur, parum ad praxim facere videtur. Nam "in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, voluptatis causa habitis, se continere a non labendo in pollutionem vel copulae consensum." (S. Alph. l. 6. n. 854) Insuper notandum eam opinionem non procedere de nupturientibus ante inita sponsalia.

5^o Cum non raro, in regionibus nostris, sponsi vel nupturientes bona fide limites prudentiae transgrediantur, caute agat confessarius ne eam, sine spe fructus, perturbet.

411. VIII. Confessarius, quo melius dirigat poenitentes circa hanc lubricam materiam, haec advertere poterit:

1^o Quando agitur de iis qui debiles quidem sunt, sed bona voluntate praediti, severitas adhibenda est ad resecando omnia *seria* lapsum pericula. Ut enim scribit S. Alph. (Prax. Conf. n. 65): "Ubi agitur de

periculo peccati formalis et praecise peccati turpis, confessarius, quanto magis rigorem cum poenitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit; et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo ut ille in occasione maneat aut se immittat. Haec tamen sunt ita applicanda ut nullum adstruatur peccatum mortale de quo non certo constet (n. 153), neque sunt extendenda ad cogitationes vel motus pravos quos quandoque e rebus per se indifferentibus patiuntur timoratae conscientiae homines: his enim praestat ea contemnere vel, quatenus *suaviter* fieri potest, amore virtutis perfectioris fugere.

2^o Cum tanta sit varietas in influxu quem causae impudicitiae in homines exerceant, cavendum est confessario ne ea quae AA. de his scribunt tamquam normam immutabilem omnibus et ubique applicet. Ubi igitur aliquid dicitur *vix* sine peccato mortali fieri posse, id *regulariter* vetandum est sub gravi: nam ex ordinarie contingentibus oritur certitudo moralis, donec de exceptione constet. Post factum tamen non est fides abneganda poenitenti, praesertim pio, si quando affirmat sibi innocua esse quae alios graviter commovent. Et generatim, in casibus per se dubiis, quando poenitentes interrogant de reatu actus jam a se positi, antequam responsum detur, quaerendum est num inde secuti sint pravi motus, consensus in turpem delectationem, etc.

3^o Quando juvenes vel puellae se accusant de peccatis turpibus cum persona alterius sexus commissis, confessarii est interrogare num forte subsit aliqua continuata amicitia et, si ita est, num haec in ordine ad matrimonium foveatur. Si reapse matrimonium inire intendunt, quod non tantum ex affirmatione poenitentis, sed ex utriusque condicione aliisque adjunctis prudenter concludendum erit, sequatur confessarius regulas de nupturientibus datas. Si tale propositum abest, plerumque necesse erit jubere ut haec necessitudo omnino abrumpatur, cum sit gravis peccati periculum proximum sine gravi causa frequentatum.

N. B. Non agemus hic de septimo et decimo Decalogi praeceptis, quae sic efferuntur: "Non furtum facies." (Ex. XX, 15) et: "Non concupisces domum proximi tui, ... non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt." (ib. 17). Prius enim vetat peccata externa, posterius peccata interna contra justitiam. Haec autem materia justitiae tam ampla est ut soleat a Theologis in duobus tractatibus se junctis exponi, quorum alter *De Justitia et Jure* alter *De contractibus* inscribitur.